

NOVA MVSICA\*  
SATVRA  
*Nicolai Campidomini Clauarensis*

Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά,  
καινὰ γὰρ ἀμά κρείσσω.  
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει,  
τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων.  
ἀπίτω μούσα παλαιά.

(Timoth., Fr. 796 PMG)

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,  
ἢ τις διόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

(Hom., *Od. 1, 351 - 2*)

Flacce, quid in ueterem reuocamur agona, sodalis?  
Curque iubes iterum Latias temptare Camenas?  
Italico sermone sinunt Telchines abuti  
Dumque sinunt, ipsum irrident qui carmina pandit;  
Sic illi misero conuicia pessima dicent, 5  
Qui conatur hebes Romanos condere uersus!  
Attamen huc reuocor calamumque parare necesse est.  
Quid scribam? Saturam. Stupefis? Indignor, amice.  
Iam studiis sacrum Germania liquerat almī  
Me farciminibus sexto sub mense repletum 10  
Post hiemem gelidam redditur ad tecta meorum:  
Otia namque aderant Paschae sub limine ueris.  
Tum cupiens aliquid sapidi consumere tandem  
Atque meam patria lingua modo soluere linguam,  
Inuitor dites ego non inuitus ad aedes 15  
Cuiusdam mihi cognati (nec quomodo nosco),  
Vt laute simul ex doctis epulemur amicis.  
Ille etenim - memini fortassis nomen: Olympus,  
Collector rerum et tabularum, nescius artis,  
Emporio aduentor prompte fraudatus in omni. 20  
Hic tum nasutis laqueatam impleuerat aulam,  
Vrbs mea quos tenuis, studiis non apta supremis,

---

\* «- Eppure, sa? - gli disse allora la signorina Milla. La mamma con gli anni si era... evoluta, convertita, eh sì! convertita alla musica nuova. - A questa? - chiese così sbigottito il vecchietto.» (L. Pirandello, *Musica vecchia da Novelle per un anno*).

Parturiit: medicus, susceptor, scriba, sacerdos,  
Dux pedilusorum, doctorque scholaeque poeta -  
Sim breuis: hic aderant aliqua qui parte putantur  
Seque putant reliquis meliores mente animoque.  
Optime, cur rides, Flacce? Optes dicere: «tuque!»  
Scilicet: agnosco. Culpa numerandus in illis  
Sum persaepe mea. Non istis cura, sed ipse  
Proficere - ut possum - meliores malo secutus,  
Quam deorsum gradientem humili depedere monte. 25

Ingredior copiosa toris triclinia rubris,  
More nouo nobis ubi stantibus esca paratur.  
Tres aula in media cum iure et aromate mensas  
Deliciae, dulcesque duas laticesque tegebant.  
Exaequans lances famulorum Asiana dapesque  
Continuans acies curritque latetque uicissim  
(Hospitibus uetuit domina hos studiosa uideri). 35

Cuncta parata ut sunt, tegumenta et opercula dempta,  
Quo feruore manus sibi conseruere, catillis  
Dum fragiles mixtim uariique struuntur acerui! 40

Iam bona mandebam, mihi quae ieunia supra  
Abnuerant: oleas, pastilla, moreta, placentas,  
Omnia quae nec erant cum thynno pasta subacta.  
Cuncti quaerere qui sint nuntia, syndacus, aër  
Inter se incipiunt meque istis addere dictis: 45

«Haec noua facta uia est...» «Matthaeus iure locutus...»  
«Ad metam ieci...» «Nos teleuisio celat...»  
«Ecclesia Italiam iunxit...» «Rex rursus adesset...»  
«Tempora pulchra aderunt?...» «Tuto reddit ordo lucrantium...» 50

Me prorsus lites uoluerunt soluere doctas:  
«Hic quis erat?» «Quo factum anno?» «Qui scribitur illud?».  
Arbitriis aliquot factis dubiisque solutis,  
Accubui rumore torum lassatus inani  
Blanda Tirolensis delibans pocula Bacchi. 55

Tum symphoniacus prodit, quem exciuit Olympus,  
Vt cithara tenta faciat conuiuia laeta,  
Quamuis cuique sui clangor sit gratior oris.  
Se sellis uacula pro pariete collocat aulae  
Et tenui cum uoce canit tam flebile carmen: 60

*Mamma, tuae numquam mercare crepundia pullae...<sup>1</sup>*

Quod quondam malas false umectabat honestas,  
Dulce quidem, sed molle tamen, nec opinor opimis  
Aptum epulis. Illum quare sic alloquor: «O quem  
Musa lyrae docuit normas artemque canoram,

65

Quod modulare, nimis uetus est. Cum te scio iussum,  
Tum tibi me praeter non ullus praebuit aures.  
En mihi, quod fortasse uelis, noua cantica lude  
Vt, iuuenis, iuueni det gaudia musica pulchra»  
Subridens grata uariat sic diuus aoedus:

70

*Quam calet inter nostra suburbia. Mamma, quiesce:  
Iam redeo...<sup>2</sup>, quod submissa quoque muttio uoce.*

At quidam rabido suffusus in ore rubore

Nomine Natanael, electus pharmacopola,  
Partibus assessor cum totis municipalis,  
Mystacibus nutans questum sic incipit: «Eheu  
Saecula nostra quidem quis non stultissima credat?  
Cum iuuenes, magna minime iam parte decori,  
Non melicam gustant artem laudantque refractum  
Stridorem, cui sunt sine carmine prauaque uerba.  
Musica cuncta perit, quae quondam sana ualebat  
Italicos inter formis multisque figuris.

75

Nec iam decessum dico melodrama superbum,  
More sed haud ueteri iam tenuia cantica nixa.

Agnosco hoc carmen: nuper quo praemia summa  
Iudicibus stultis quidam - quo nomine? - uicit  
Praemia cantor Arabs, tibi quae, Reme Sancte, sacrantur...»  
(Factus eram propior non passus, Flacce, notari)  
«...Illa ueterrima sunt Itali certamina cantus.

80

Postquam mundani cessarunt funera belli  
Plebsque iterum cupiit laetari ac uisere mundum,  
Vt uel uoce noua cantores gaudia ferrent  
Atque uiatores urbem ad litusque uenirent  
(Sunt Ligures, quibus est argentum carius aura),  
Ciues Matutiae Villae<sup>3</sup> certamen in annos  
Instituere: Remi fuit huic inscriptio Sancti,

90

95

<sup>1</sup> Claudio Villa (inter complures), *Crepundia et unguenta*, 1956 [1928].

<sup>2</sup> Mahmudus, *Pecunia*, 2019.

<sup>3</sup> Hoc est antiquum nomen eius urbis, quam nunc Italice «Sanremo» appellamus.

Qui tegit illam urbem datque ipsi nomina uulgo.

Principium docui cum causis. Quatenus ergo....»

Hoc nimis, optime, erat; tum uoce interfor honesta

Sic ego: «Non Remus» «Eh, cur non?» «Est Romulus...» «Ecquid

100

Ludere uis?» «Minime! Narratur fabula bella...»

«Nomen id est urbis!» «Sine, quaeſo! Vel inspice fastos

Conquirens: non inuenies, quia dest Remus aris...»

«Hercle!» «...alii dicunt ex *sancto* nomen *eremo*

Esse, super collem qui cunctam prospicit urbem...»

105

«Ain uero?» «...leuis haec tamen est fabella. Patronus

Romulus - hoc uerum est - sanctus monachusque uetustus

Nuncupat illam urbem...» «Risu sunt digna! Renarras

Num geminos Romae?» «Quoque habes uestigia! Pando:

Romulus indigenum sermone in tempore factus

110

Est Remus, ut quisquis poterit linguista probare;

Hic ueteri rixa sic fratrem ulciscitur illa,

Vrbis et illius nomen furatur amoena».«

«Mactel!» ait ille furens «Redeo ad conuicia. Quaequae

Huius origo fuit certaminis, ei mihi quale

115

Iam factum est! Me praeterito pudet audiuisse

Tot sonitu patula ac tot turpia cantica uerbis.

Est ubi nunc, olim quae dulcis musica prisca

Cor simul auriculasque hominum mulcere solebat?

Non modo iam sonitu, sed uerbis monstra uidentur:

120

Quam recinit peius, dic, Berteia Lauretana

- Vix eadem tenilusori quae nupserat illi<sup>4</sup>,

Vix tantae raptae maturius umbra sororis -

Difficilem, extinctum, fortemque cupidine amorem,

Quam Pythiae fletus, cum uicit praemia princeps:

125

*Flores propter ago tibi grates! Inter et omnes...<sup>5</sup>»*

«Hoc bene dixisti ‘fletum’, quia cantica prisca

Sunt tantum lacrimae, quas nemo credere possit.

Mollitia in uerbis peccauit saepe uetustas:

Flebilibus modulis maestas res narrat et aegras

130

Sic ut et absurdus subrepat in ore cachinnus;

Vis bona nunc placet et uerborum uerior usus

In risu lacrimisque; melum non motus inanis.

<sup>4</sup> A.D. 1989 tenilusor Suecius Biornus Borgum Lauretanam Berteam uxorem duxit.

<sup>5</sup> Nilla Pythia, *Grates propter flores*, 1951.

*Saltat simia nuda, tamen ὥει πάντα, sub imbre...<sup>6</sup>*  
 Ille canit numerans nostrum aetatisque furores; 135  
 Grex uotum hic simplex penitum cuiusque reuelat:  
*Nemo testiculos rumpet: quae uita uacandi est!...<sup>7</sup>*  
 Mutat homo poscitque aliud noua cantica tempus.  
 Non eadem semper cantor proponere debet  
 Sed renouare modos saecloque aptare loquela: 140  
 Istud Dulichius iuuenis iam iusserat alter.  
 Inuenienda uia est, moueant ne taedia somnos;  
 Berteā sic potuit. Ridesne? Auditur ubique  
*Quid cupis ex me? Quid cupis ex me? Quid tibi fingis?<sup>8</sup>*  
 Iam Nillae resonant aliena cantica lingua...» 145  
 «Forsitan hoc tibi, uane puer. Nam musica magnum  
 Sic discrimen habet, proprio si seruiat aeuo.  
 Ecce tibi iuuenum corruptor Laurus Achilles:  
 Nomina, quae cecinit rerum congesta hominumque,  
 Haec cum transierint, iam non intelliget ullus! 150  
 Materiem aeternam si uero cantica sumant  
 Virtutem, affectus lepidos tristesque, et amores,  
 Semper honore nouo per saecla audita manebunt.  
 Haec Pythiae memini cordi dulcissima uerba:  
*Alba columba uola, reddituram me refer esse...<sup>9</sup>* 155  
 Purus amor manat; secus ac sic non decet esse!»  
 «Hic erras, male! Nilla canit Tergeste regressum  
 Italicum nondum sub uelo tristis amoris.  
 Egregius cantor, quo uiuit, spectat ad aeuum...»  
 «Et spectet sane: sed carmine uerba carebunt!» 160  
 «Non ita! Non sunt quae cecinistis carmina mira,  
 Caietane, DeAndreas, Batiate, Gucini,  
 Vna qui facitis numeros et uerba canentes?  
 Quis neget? Haec ferme sapientis dicta uidentur:  
*Hunc diuina parit popularem machina sensum<sup>10</sup>.* 165  
 Sed non deterius faciunt excelsa recentes;  
 En tibi Baustelles, iuuenum grex fructus honore:

<sup>6</sup> Franciscus Gabbanius, *Occidentalium charma*, 2017.

<sup>7</sup> Ciuitas Socialis, *Vita uacandi*, 2018.

<sup>8</sup> Lauretana Berteā, *Quid ex me speras?*, 2019.

<sup>9</sup> Nilla Pythia, *Columba uola*, 1952.

<sup>10</sup> Francus Batiatus, *Te uenio quaestum*, 1988.

<i>Carduus ut rubeat, uiolas te deligit inter<sup>11</sup>,</i>	
Nonne potest aliquis bonus hoc scripsisse poeta?	
Audeo, uel (parcas audenti, Flacce) Latinus?	170
Laudator ueterum rerum inscitissime, cessa	
Omne nouum spernens quidquid deflere uetustum:	
Nam sic non poteris nouitatis pulchra probare.	
Ire licet porro, licet et temptare nouando.	
Non ego credo quidem noua tantum digna relatu:	175
Obsequium nam seruo boni cantoribus aeui	
Modunio, Prauae, Celentanoque Minaeque,	
Audio quos crebro, quorum miracula miror.	
Hic uos erratis, quoniam omnia temporis huius	
Cantica digna chorus tantum reputatis Auerni...»	180
«Eruo non solum cantores temporis acti	
Priscos: sunt paulo post quos audire iuuat me.	
Nam memini dubio magnam certamine laudem:	
<i>Exsecrabile uer<sup>12</sup></i> hic callida Guggia cantat,	
<i>Mene per Elysiam perdes?<sup>13</sup></i> ibi Alice frequentat.	185
Plebs studio se scindit Aristi incerta theatri,	
Praemia cui tribuat: pugnant pariterque putantur.	
Mox superans puncto palma decoratur Alice,	
Sed fama illustris cantricem utramque coronat.	
Nunc iuuenes subito in scaenam iaciuntur inanes,	190
Quos populo grata ingenii spectacula ructant,	
Securos nimium sed non satis arte paratos...»	
«Musica non uetus aut noua sit, sed magna minorue.	
Nam minus atque hilo ueteres plerique ualebant	
Et modicos tempus iudex obliterat aequus;	195
Saepius hoc contra insignem magnumque reuelat	
Quem sua iudicio uitioso spreuerat aetas.	
Non tulit hoc Tencus, mala quem sententia pressit	
Morsque accita habuit; sed postuma gloria clara	
Luce locauit eum famam largita perennem.	200
Stultus erit tam qui sine libra respuit artem,	
Quam qui dissimiles iam cantus non sinit esse.	
Cedite cantorem, quem non attenditis immo,	

<sup>11</sup> Baustelles, *Nemo*, 2013.

<sup>12</sup> Laureta Guggia, *Exsecrabile uer*, 1981

<sup>13</sup> Alice, *Per Elysiam*, 1981.

Nunc cantare melos nobis nitidumque recensque.»

«Perdite, uae, iuuenis! Tibi grata est Musa Latina  
Muta hodie, quam iam - nisi pauci - non ualet ullus  
Mente probare sua, quam e bustis surgere cogis;  
Cur tibi non constans nouitates laudibus effers?»

205

Tum risere in me tollentes pocula cuncti.

Erubui, fateor, mi Flacce: et spiritus ardens  
Discordes animos agnouit; deinde recusans  
Ipse refello: «Senex, aduerso flumine forsit  
Verto pedes, quando ueteres reuocare Camenas  
Laetor, et hic uobis labor esse uidetur inanis.

210

Antiquis uerbis amo res miscere nouellas  
Atque alio uariam nouitatem carmine quaero.  
Vita sed hic hodie est: aetas sua cuique ferenda,  
Quam pugnare decet, sane cum desipit errans.  
Vt non narro iterum melius quod dixit Homerus,

215

Musica sic a me pensatur temporis huius:  
Qua parte ascendit, laudo; qua labitur, odi.  
Mendas agnosco, claram non aestimo totam.  
Idem ad res ueteres habitus mihi: flexile si sit  
Iudicio ingenium, poteris discernere plane.

220

Historiam si scis, seriem cognoscere totam  
Atque hominum poteris multos in tempore gustus.  
Ista tenacia, quae uos caecos durat in aeum  
Quaeque uetustatem facit arae numinis instar,  
Vos desiderio sordis uel donat auitae;  
Ista cauete - uel huic peccato parco senili -  
Ne iugulet nulla uestros indagine sensus,  
Neue renascentis renuat cras lumina solis...»

225

Sic ego, Flacce, sed hi ridentes rursus ad illos  
Sermones rediere graues. Demittitur ipse  
Cantor, ne mensas insuaui carmine uexet  
Non ulla mercede data. Tum fertur opimus  
Capo macer<sup>14</sup>, sollers quem coxit praesidis uxor,  
Tam uarias partes cohibens uariosque sapores.  
Arripiens dextra hanc lancem laeuaque lagoenam  
Spumantis, clamo: «Cantoris portio diui

230

235

240

---

<sup>14</sup> Pulmentarium locuples olere pisce pane iureque, quod diebus festis in Liguria pro capone estur, unde capo dicitur macer.

Haec erit, o uappae, necnon cantoris amici!»

Hunc specto signoque dato praedasque ferentes  
Aufugimus raptim, frustra dum constrepit aula.  
Inque uia, magna iuuenum comitante caterua,  
Concinimus circum sellas mensasque tabernae,  
Dum quaerunt illi uelo exsurdare fenestras.

245

Hanc saturam cecini tibi, Flacce sodalis, et ipsam  
Euoluant nimium lippi nimiumque seueri  
Qui iecur eroden sibi, quod noua dissona agamus,  
Flentes cum Villa, solus qui pipiet arte.

250

Nicolò Campodonico  
Chiavari (GE)  
Scuola Normale Superiore  
Pisa  
[nicolo.campodonico@sns.it](mailto:nicolo.campodonico@sns.it)